DISPUTATIO MEDICA

20

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

ROBERTO SHAW AUCTORE.

PROOEMIUM.

Ab antiquissimis temporibus ad hodierna usque, variae historiae morborum jecinoris a medicis memorantur. Morbi quidem nullius visceris, attentionem veterum magis sibi adscivisse videntur. Hae vero historiae imperfectae, et absurdae rationes medendi, solum demonstrant quantulum de suis infirmitatibus medici vetustiores didicissent. Maxima frequentia tamen horum morborum, et eventus

plerumque lethalis eorum, signa studio acerrimo perscrutanda esse indicant; et summa ope nitendum esse, ut urgentes radicitus tollantur, nec sublati recidant.

Affectiones jecoris in illis regionibus natura calidis frequentius grassantur; sed e pluribus causis concurrentibus, in temperatis, et etiam in frigidis regionibus minime sunt infrequentes. Nulla regio inflammationi jecinoris, quam India Orientalis, magis patet; et illi qui illuc migraverint, vel sero provenerint ex hac vel aliis regionibus temperatis, ad eam subeundam, quam incolae ipsi, magis procliviores sunt: et quamvis ibi remissior fiat, tamen ex causis levissimis admotis facile renovatur, quum ad solum natale redeunt.

Quamvis hic morbus utrumque sexum invadit, tamen mares e vivendi ratione, horumque robustissimi, quam mulieres, ei sunt oportuniores. Omnes aetates aggredi potest;

sed tempore aestivo et media vel senili aetate impetus ejus maxime est observandus.

Cullenus, oratione concinna et lucida, ita morbum propositum definivit :

" Pyrexia ; hypochondrii dextri tensio et " dolor, saepe pungens, pleuritici instar, sae- " pius obtusus ; dolor ad claviculam et sum- " mum humeri dextri; decubitus in sinistrum " latus difficilis ; dyspnoea ; tussis sicca ; vo- " mitus ; singultus."

Inflammatio jecoris in duas species, Acutam et Longam dividi solet. Illa ardentior et incitatior, signa clariora et saturiora exhibet : haec lentior est, diutius perstat, et multo saepius longos impetus febrium intermittentium et remittentium sequitur. Cullenus docet acutam membranas, longam, substantiam jecoris propriam afficere.

HISTORIA.

Species acuta, illis indiciis quae febrem antecedunt, languore, lassitudine, anxietate et horroribus cum ruboribus alternantibus, incipit. Dolor magis minusve gravis dextri *hypochondrii* urget; paulatim ingravescit, et manu premente, tussi aut inspiratione acuitur: hic in plerisque casibus ad summum humeri tendere observatur. Tussis, respiratio laboriosa et doloris genetrix tunc sequuntur, et ventriculus nausea et vomitu afficitur: hoc interdum gravi et materiam nigram et biliosam ejiciente; aeger in latus affectum plerumque facilius cubat; et ad has notas, aliquid aegritudinis accedit.

Progrediente morbo, pulsus fit durus, celer et validus, os siccum, lingua alba et crus-

ta flavida obducta; simul maxima sitis comitatur: alvus varia est; alias pertinaciter adstricta, alias resoluta: urina parca et ruberrima est; interdum cutis et oculi aurescunt. Sanguis detractus tunicam solitam coriaceam plerumque exhibet; sed aliquando accidit, ut iidem aspectus, qui in ictero saepe occurrunt, adsint.

Inflammatio jecoris longa, jam iniens, raro bene definitur. Quaedam notae dyspepsiae, ut cibi fastidium, nausea et vomitus, primo apparent: aliquando, contra, appetitus cibi auctus est. Vultus initio valde mutatur, fere pallidus aut lividus; facies tumescit; oculus solitus splendor perit; flavis, hebetibus nec facile motis; lassitudo, somnolentia et prostratio virium sunt apud signa, quae se primo exhibent. Alvus fusa et biliosa; cutis fere semper flavescit, et hanc speciem egregie notat: plerumque alvi fluxus cum tumore abdominis comitatur.

Pulsus, in plerisque casibus, parum afficitur; pariter firmus et regularis ac in salute existens: sed aliquando, morbo progrediente, celerior fit, inaequalis, et aliquando versus finem intermittere etiam observatur. Dolor initio tam levis est, ut vix attentionem aegri ipsius attrahat; saepissime ad dextrum *hypochondrium* refertur, et est obtusus. Aeger in latus affectum frequentissime facilius jacet; sed alias contrarium accidit, et aliquando non nisi supinus ex facile cubat.

Spiritus in nonnullis casibus adeo difficilis est, ut asthma subesse videatur. Duratio signorum maxime variat: interdum diutissime trahunt, et nullis malis effectibus, qui percipi possunt, per menses vel annos producuntur. Dejectiones, cum superficies inferior jecoris inflammatur, eundem aspectum quem in ictero exhibent, scilicet privatae idonea copia bilis subalbidum colorem induunt.

Quidam auctores conati sunt, signis distinguere quaenam pars jecoris afficitur. Dolor ad humerum tendens, tussis et respiratio difficiliores, cum pars convexa laborat; dum affectiones ventriculi, nausea, vomitus et singultus, atque flavedo cutis, inflammationem partis concavae denunciant.

Inflammatio jecoris acuta cito ad suppurationem tendit. Abscessus magni ejus interna penetralia corrumpunt. Secretio bilis vitiatur; pus absorbetur. Sudores nocturni et alia signa febris hecticae supervenerunt; et mors cito cruciatibus aegri finem imponit.

RATIO SIGNORUM.

In animo est, quaedam ex indiciis gravioribus morbi propositi explicare. Id vero sig-

num, cujus ratio maxime difficultate premitur, est dolor ad claviculam et summum humerum ascendens; qui nervis humeri, septi transversi, et jecoris invicem nexis tribuitur, et accedit cum pars convexa hujus afficitur. Inflammatio enim ad septum transversum serpit, et ejus nervum irritat; cujus cursum dolor sequens ad humerum ascendit.

Difficultas cubandi in latus sanum.—Probabile est hanc pendere a distentione praeter naturam ligamentorum, quae jecur sustinent, et quae inflammantur.

Nausea et vomitus.—Haec mala a consensu intercedente inter jecur et ventriculum oriri possunt; vel cum concava pars jecoris afficitur, inflammatio directe ad ventriculum tendere potest.

Tussis et spirandi difficultas.—Haec fere eodem quoque modo explanari possunt. Spirandi difficultas urget, ex aucta mole jecoris,

descensum septi transversi impediente; et plerumque observatur, morbo inveterato, cum jecur ad molem praeter naturam pervenerit.

Inflammatio tendens ad bilis fistulas, obstructionem et igitur absorptionem fellis efficit. Hinc patet ratio peculiaris flavedinis, quae cutem et oculos in hoc morbo obtegit.

DIAGNOSIS.

Indicia *speciei* acutae plerumque tam bene definiuntur, ut error vix oriri possit. Alteram vero longam aliunde dignoscere semper paulo difficilis est; quod tamen initio, summam attentionem medici, et investigationem accuratissimam in historiam et habitus aegri postulat.

Ad diagnosin propriam formandum inter hanc et Gastritidem, oportet considerare situm doloris, qui in illa, ad humerum dextrum pertinet, flavedinem cutis et vim pulsus; in hac, prostrationem virium, pulsum debilem, anxietatem et dolorem hypogastrii cibo sumpto, et vomitum ejusdem celerrimum.

Ab Enteritide, signis supra enumeratis, febre typhode, atque dolore circum umbilicum torquente, eum facile dignoscimus.

Rheumatismus raro, sed interdum musculos abdominis afficit; at notis hepatitidis supra memoratis, dolore rheumatico hinc illuc errante, et cum dolore artuum alternante, signis catarrhi nullis, et historia casus, non fieri potest ut hi morbi confundantur.

E spasmo fistularum bilis vel calculis biliosis his inhaerentibus, continuo dolore hepatitidis proprio, febre ejus ardentiore, et aegro in latus affectum facilius cubante, haec in-

flammatio discernitur ; dum levamen maximum, aegro manibus et genubus prono nitente, obtinetur, si spasmus aut calculus torquet.

Difficile plerumque erit, aliquando impossibile, distinguere *Hepatitidem chronicam* jam ineuntem, a *Dyspepsia ;* sed in stadiis provectis, situs doloris, status pulsus, color cutis et oculorum multum nos adjuvabunt. Semper utile erit, quaerere an aeger in regione calida prius habitaverit, vel antea simili modo affectus fuerit.

Morbus quicum Hepatitis acuta potest facillime confundi, est Pneumonia ; quia saepe conjunguntur, et altera in alteram quando abit. In pneumonia, dolor acutior est, et premendo non augetur ; tussis sputo stipatur ; spiritus multo difficilior est ; et dolor remissimus, dum aeger in latus affectum jacet. In hepatitide, cutis et oculi flavent, dolor pressura intenditur, et minus gravis, aegro in la-

tus affectum decumbente; nausea et vomitus plerumque vexant, et tussis sputo vacat.

FINES MORBI.

Faustissimus et feliciter longe frequentissimus exitus hepatitidis acutae est resolutio malorum omnium, idoneis remediis admotis, sensim equidem accedens; vel in resolutionem sua sponte desinit, sanguine ex naso vel vasis haemorrhoidalibus fluente; alvi profluvio; vel fluxu urinae multae et crassae, ex qua decidit rufi aliquid; vomitu; raro fluxu spontaneo pituitae ex pulmonibus; et denique summa cute robore aliquo erysipelatoso efflorescente.

Sed si morbus suum cursum sponte exequitur, et ad idonea remedia non satis cito confugitur, haud infrequenter accidit, ut re-

missio tantum malorum eveniat, circa solitum tempus morbi declinationis, et tunc aeger horroribus frequentibus afficitur. Cito sensus gravitatis et oppressionis in regione jecoris sentitur; auctus, si in latus sinistrum aeger decumbere conatur. Cui omnia illa signa propria formationis puris accedunt, certe est morbum suppuratione terminare; et si pus non extrorsum exit, metuere tantum possumus, sed non prohibere effusionem ejus in cavum abdominis.

In quibusdam casibus, adhaesiones inter jecur et quoddam vicinum viscus, ut ventriculum, septum transversum, vel colon, formantur; in quae diversa viscera, materies effunditur, et terminatio fausta interdum inde sequitur. Induratio minime rarissima terminatio est hepatiditis acutae; et cum notae resolutionis ante suppurationis non appareat, et simul morbus diutius manet, tandem in typum chronicum desinere videtur.

Si morbus in gangraenam unquam desinit, haec rarissima, sed certe lethalis terminatio est *. Casus memoratur, ubi dolor et inflammatio subito quieverint, pulsus debilis, et extrema frigida facta sunt, et mors cito accessit; in quo multae rationes erant, cur gangraena terminatio esse putaretur.

CAUSAE.

Inducı potest, omnibus illis causis quae alias inflammationes inferre plerumque dicuntur, ut irritatione mechanica, vulneribus, vel ictibus regioni jecoris illatis. Ex majore frequentia morbi in regionibus calidis, et praesertim aestate, calor vim magnam videtur habere hepatitidem gignendi; sed vis frigoris corpori calefacto admoti, adhuc major exis-

---

* Vide Saunders on the Diseases of the Liver.

tit. Transitus subiti a calore ad frigus, hunc morbum, vel pneumoniam, vel etiam utrumque, inferre possunt; et hinc, ut celeberrimus CULLENUS notat *, frequentissime hi morbi conjunguntur.

Quidam motus animi, praecipue gaudium et ira, exercitatio vehemens, vel graviora molimina, inter causas excitantes recenseri possunt. Usus immodicus et continuus spirituum ardentium, apud nostrates longe frequentissima causa est hepatitidis chronicae. Multae aliae causae auctoribus enumerantur; sed hae, de quibus nunc dicimus, et etiam cibus nimis conditus, et calculi fistulis bilis infixi, apud frequentissimas observantur. Species chronica saepe nascitur, vel statim sequitur accessiones febrium intermittentium et remittentium, et praecipue in regionibus calidis.

* Vide First Lines.

Repetitus in hac, ut in multis aliis inflammationibus, vim magnam habeat aegrum multo procliviorem ad hepatitidem reddendi; et cum aliquis hoc morbo semel correptus fuerit, propensionem per reliquam vitae ad eum adeptus est. Species chronica interdum ad acutam corpus pronum facit; et omnes aliae causae inflammationis remotae, praecipue regio calida, et diathesis phlogistica, inter eas quae corpus faciunt opportunum hepatitidi enumerantur.

PROGNOSIS.

Fausta prognosis certe indicatur, cum signa per cursum integrum morbi mitiora sunt, et remediis idoneis cedunt. Hepatitis chronica saepe tantum levamen breve sinit, et causis excitantibus vel leviter admotis iterum redit. Cum alvus soluta et biliosa est,

urina copiosa aut sudores generales circa quintum diem apparent; cum urina decidit rufi et crassi multum, vultus hilaris apparet, et speciem peculiarem, quae morbum dignoscit, amittit; cum vires et appetitus, his signis decedentibus, redeunt; fausta prognosis formi debet.

E contrario, si febris increscit, et interdum delirio comitatur, alvus tardissima, et dolor ad punctum fixus; si sudores inaequales adsunt, dum aliae corporis partes naturales vel frigidae manent; vomitus molestus cum ejectione materiei biliosae, et cum vultus aspectum lividum retinet, prognosis semper anceps est: si autem delirium ferox, extrema frigida, et singultus aegrum vexant, sperando vix superest locus.

Suppuratio plerumque infausta est, nisi abscessus intus rumpitur; et si gangraena occurrit, morbus certissime lethalis erit. Oportet eventum praesagire, pro vehementia sig-

norum, aetate et constitutione aegri. Multum etiam pendebit habitu priore vitae; vel si accessiones frequentes fuerunt, si aeger unquam in regionibus calidis vixerit, vel usui liquorum ardentium deditus fuerit.

SECTIO CADAVERIS.

Cum membrana jecur obducens tantum inflammata est, cum partibus vicinis plerumque adhaesione committitur; et si in statu recente, plurima vasa minuta sanguinem floridum vehentia, videntur; generaliter substantia jecinoris praeter naturam densior evadit. Lamina lymphae coagulatae magis minusve spissa superficiem ejus obducit, unde adhaesiones cum visceribus vicinis formantur.

Si inflammatio ad substantiam jecoris per-

tinet, saepissime invenitur ampliatum, coloris purpurei, et durius tactu quam fert natura. Quum si diu persliterit, abscessus ingentes in ejus substantia saepe formantur ; aliquando fere omnino in saccum pure refertum, convertitur : in statu gangraenoso rarissime reperitur.

Tubercula variae magnitudinis haud raro inveniuntur, quae frequenter accessionibus speciei chronicae supervenerunt. Aliquando quoque accidit, ut durities generales, sine ulla structura peculiari in jecore, post speciem chronicam hujus morbi relinquantur *.

---

* Vide Baillie's Morbid Anatomy.

RATIO MEDENDI.

In casu hepatitidis acutae bene notato, in quo signa inflammationis ingravescunt et dolor vehemens adest, sine mora, sanguis, vena incisa, mittendus est, et plus minusve pro ratione aetatis, constitutionis et habitus aegri; aspectus sanguinis missi, et affectuum qui inducuntur. Necesse erit ut sanguis detrahatur in idonea copia, et ab orificio magno: ex attentione huic adhibita, effectus mirabiles orietur, ut detractiones parcae potius morant, quam accelerant sanationem.

Observatum est illos, in regionibus calidis degentes, plerumque non tam bene detractionem sanguinis tolerare, ac illos in frigidioribus. Si prima missio sanguinis tantum minuit vehementiam signorum, et tamen morbus adhuc maneret, et sanguis superficiem coriaceam albam ostendit, aliquando opus erit ite-

rum venas vacuefacere ; nam in casibus acutis, tantum ex prompta et assidua exhibitione hujus remedii, finem faustum licet nobis expectare.

Si post missionem sanguinis, signa acuta non penitus cessant, et aeger valde debilitatur, aliquid commodi orietur ex venis parti affectae proximis depletis; aut scarificando, aut hirudinibus impositis. Quamvis copia sanguinis in his casibus parca sit, tamen quod e parte ipsa inflammata mittitur, post corpus depletum, effectus boni aliquando egregii sunt; sed minime debet missionem generalem praevenire.

Ad novam irritationem excitandam, emplastrum cantharidis regioni hepatis semper multo beneficio admovetur. Successio horum melior erit, quam ulcus perpetuum, ut quidam auctores monent. Ut in aliis inflammationibus, irritatio ex stercore acri retento semper evitanda est, usu purgantium levium, quae

vim magnam etiam massae humorum circumeuntium minuendae habent. Mitia acribus semper praestabunt. Quaedam e salibus mediis huc idoneis, large dilutis, adhibeantur, vel submurias hydrargyri aut solus, aut cum jalapa conjunctus. Infusum tamarindi cum senna optime dejectionem facessit, in his affectionibus. Illa quae mitia et refrigerantia sunt adhibenda; sed debemus drasticas et calefacientias evitare.

Ad sitim, ardores, et alia signa febris levandam, diluentia mucilaginosa, acidula cum aliquo ex acidis plantarum, et refrigerantia, ut nitras potassae, rite ministrantur. Ad idem consilium, et etiam ad nauseam removendam, haustus salinus frequenter potandus est.

Sanguinem mittere in speciem chronicam raro necessarium erit. Haec forma frequentissime in illis qui e regionibus calidis domum redierunt, observatur; vires quorum jam exhaustae, evacuationes sanguinis gene-

rales non bene sustinent. Applicatio tamen hirudinum vel scarificationum ad jecoris regionem, vel emplastrum largum cantharidis parti admotum, multo beneficio comitantur.

Remedium in omnibus affectionibus hujus visceris, cui maxime fidendum est, et illud quod tempestive admotum, raro spem curationis eludat, est hydrargyrus. Si ullum remedium jure specificum nominari potest, hoc certe nomen meretur. Nullum est quod in corpus effectus validiores edit, nullum in scientia medicina majoris utilitatis existit. In plerisque casibus hepatitidis maxime cum fructu applicatur; sed melius speciei acutae accommodari videtur.

Post signa hepatitidis acutae levata vel submota sunt, remediis idoneis admotis, usus hujus metalli primo inclitui debet. Quidam auctores usum ejus ab initio morbi monent.

In omnibus varietatibus hepatitidis chroni-

cae, hydrargyrus famam justam peperit. In illa forma in hac regione frequentissime occurrente, et originem peregrinam ducente, vel ex usu liquorum ardentium oriente, signa fere semper decrescere observantur, quamprimum corpus hydrargyro imbui coeperit.

Forma sub qua frequentissime adhibetur est ea unguenti, quae quamvis injucundissima, ratio est longe tutissima corpus afficiendi. Frictio proxime ad regionem jecoris debet admoveri, vel ad partem crurum internam, et usus ejus satis diu persistendus est. Quo corpus citius afficiatur, pilulae e calomelane compositae, vel coeruleae cum frictione, satis bene conjungantur. Satis erit servare os affectum ; et haud necessarium statum salivationis continuare.

Si morbus in constitutione scrofulosa oritur, non expediet hydrargyro uti ; diversa remedia pro eo substituta erant ; sed nullum melius quam acidum nitricum, large dilutum, conservare videtur.

Usus diuturnus quarundam aquarum salinarum, ut aqua Cheltenhamiensis vel Sedlitz, valde utilis existimatus est. Ad indurationes jecoris tollendas, vel sales quidam alvo purgandae accommodati, maxime diluti et modo idoneo contessi, eosdem bonos effectus habeant. Victus quoque regulandus est. Cibi illi tenues, facile concoctu et nutrientes sunt utendi; sed omnia condimenta et liquores fermentati evitandi sunt. Concoctio, usu amarorum vel medicaminum tonicorum promovenda est; sed cinchona, et etiam modica copia vini in nonnullis casibus versus finem, cum aeger multum debilitatur, necessaria erunt.

Si res sinant, mutatio coeli a calido ad temperatum semper optimos effectus inducet: sed si hoc non fieri potest, cura, ne corpus vicissitudinibus subitis a calore ad frigus objiciatur, adhibenda est, et omnes causae excitantes fugiendae sunt.

Nonnulli effectus boni, qui ex mutatione coeli accedunt, fortasse ab exercitatione navigandi oriri possunt; et si aeger patriae fines non potest relinquere, hanc exercitationem experiri debet. Omnes causae sedulo confugiendae sunt; sed prae omnibus, usus liquorum ardentium omnino omittendus est, nam dum hic stimulus venenatus permittatur, nullam curationem licet nobis expectare.

FINIS.